



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

Liber Qvartvs. De Hispania secundùm antiquos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

## LIBER QVARTVS.

*De Hispania secundum Antiquos.*

**E**XPLICAMVS hoc libro nobilem Romanis belli campum, & in quo prolufere ad Carthaginienfes in patriâ suâ prorsus atterendos: sed vnde Romam auaritia venit, & materia luxus atque corruptelæ pecuniæ, multis triumphis inde deportata. Verùm antequam attingamus Geographicam enarrationem, pauca de more ex historiâ supponamus.

## CAPVT PRIMVM.

*De Hispania Antiqua in communi.*§. I. *Nomen Hispania.*

**P**RIMVM est HISPANIA; quod qui deducunt ab *Hispano* Herculis filio, vel ab *Hispalo* Rege irridentur meritò à Lud. Nonnio. Sed sic dicta videtur à *Pano* præfecto Bacchi, & primùm *Pania*, mox quia ei cognominis erat Pelopõnesus, aut certè Arcadia, addita vox *His*, quæ Teutonicè *Occidentem* sonat, ita Goropius.

*Secundum* est HESPERIA, vel ab *Hespero* Stellâ, vel ab Atlantis fratre, qui translatus in Italiam eam quoque *Hesperiam* dixit, sed hæc *Magna*, vt illa *Vltima* nuncupata est.

*Tertium* IBERIA, aut à fluuio *Ibero*, qui hodie dicitur *Ebro*, vel meliùs ab eo qui in Bætica vocatur *Rio Tinto*, & *Azeche*, aut sanè nomen habet ab *Iberis* Asiæ populis, vt vult Varro apud Plinium; quamquam Dionys. Alex. & eius Scholiastes, Asiaticos ab Europæis vocatos putent.

*Quartum* CELTIBERIA, quo vtitur Diodorus Siculus, cùm *Lusitanos* fortissimos *Celtiberorum* appellat.

§. 2. *Figura Hispaniæ.*

PRIMÒ Corio Bubulo similem facit *Strabo* lib. 3. εἰς Βύβρον.

SECUNDÒ quadratæ figuræ ait esse *Iustinus* lib. 44.

TERTIÒ Trigonam faciunt illam *Orosius*, & *Ætolicus*.

§. 3. *Quantitas Hispaniæ.*

TAM vastam ait esse *Appianus* in Ibericis, vt vna regio credi non possit: postea tamen *longitudine*, & *latitudine* decem Stadiorum millia implere asserit.

*Plinius* quoad *latitudinem* inæqualem tantùm esse ait, *longitudinem* mille octoginta duorum passuum tradit esse.

*Strabo* denique distinctiùs *longitudinem*, sex millium Stadiorum, *latitudinem* quinque pronunciauit.

§. 4. *Qualitas Hispaniæ.*

CONSIDERATUR in ea *Fertilitas*, *Diuitie*, *Frequentia populi*.

FERAX. Omni genere fructuum abundare *Iustinus* putat. *Solinus* nihil in eâ otiosum, nihil sterile: quidquid negat messem vigere pabulis, loca etiam sterilia materiam funibus nauticis sufficere, quod tamen *Strabo* negare videtur. Laudatur eius quoque oleum, laudantur & lana, *Minium*, *Equi*.

DIVES, vt ostendetur postea in *Lusitanis*, *Gallæcis*, *Asturibus*, & *Celtiberis*. Certè *Nonnius* ex *Liui*o colligit *Hispaniam*, paucis annis, Romanis dedisse sexcenta millia infecti *Argent*i pondo, *Argent*i *Oscensis* quadraginta millia, *Auri* circiter decem, præter signati copiam infinitam. Nec prætereundum est, ex puteis *Argent*i ab *Annibale* effossis, reddidisse quotidie ccc pondo.

POPVLOSA quàm fuerit ex *Bæticâ*, *Gallæciâ* & *Celtiberiâ*, partibus eius, colligetur.

§. 5. *Mores Hispanorum.*

VITIVM in eis vnum arguebant veteres quòd factiosi essent: sed etiam asserunt illud à *Græcis* hausisse; at in iis quinque potissimum

virtutes laudant. Prima est

PRVDENTIA quam ostenderunt in bellis contra Romanos: nam ἰταλιῶν καὶ κατακερματιστοῖ τὰς ἀγῶνας, ait Strabo. Exinde factum, vt

— *Latis veltigal Iberia v. bus*

*Contulit Augustos,*

ait Claudianus, videlicet Traianum, Hadrianum, & Theodosium.

II. FORTITVDO, patet in eo quod à Floro *Bellatrix* dicitur, & *Annibalis eruditrix*, & *Seminarium hostilis exercitus*. Lilius ait, nonnullos se interemisse quoniam eis Cato ademerat arma: quod spectat & illud Siliij,

*Prodiga gens animi, & properare facillima mortem, &c.*

III. FIDELITAS in Saguntinis eluxit. Quare Iulius Cæsar stipatores corporis Hispanos habuit, sicut & Augustus Calaguritanos, *Suetonius*.

IV. HOSPITALITAS. *Diodorus* ait, in hospitibus recipiendis decertare: quos aduenæ sequuntur, ab omnibus laudari.

V. LITERARVM AMOR. Ex vltimis Gadibus venere quidam Romam, vt T. Liliium viderent. Parens est Hispania Senecarum, Lucani, Melæ, Columellæ, Hygini, &c.

#### §. 6. *Politia Hispanorum.*

DE hac ante Carthaginensium in eam aduentum nihil constat, sicut & de Colonia in eam immissis à Phocensibus, Rhodiis, atque Phœnicibus. Oppressi ergo per indigenas Gaditani origine Tyrj ad Pœnos confugere, qui & hospites defendere suos, & hinc sedem fixere. Postea sub Amilcaris auspiciis in eam iterum transfugere, à cuius Genero cõdita Carthago: sed Pœnorum imperium varias hinc expertum vices, tandem per Annibalem restoruit, Romanorum, qui eò quoque transierant, imminutum, donec à Scipione Maiore capta Carthago Noua Pœnorum fregit animos. Tum Hispania in prouinciæ formam redacta, primaque ex regionibus continentis, modòque per Prætores, modò per Proconsules administrata est, prout vrgebant negotia. Sub Imperatoribus primis Tarraconensem sibi Cæsares reseruarunt, imò aliquando Lusitaniam, Bætica populo relicta, cum Lusitania, & modò per Prætores, modò per Proconsulem ius iis dictum. Quomodo autem sub Imperatoribus se habuerit, vsque ad Barbarorum inundationem,

nem, legantur. Pancirolus cap. 67. Notitiæ Imperij Occidentalis, & Mariana sub initium Historiæ.

§. 7. *Lingua Hispanorum Antiquorum.*

ANTIQUVM idioma Hispanicum credunt plurimi esse hodiernum Lapurdense, quod vulgò dicimus *le Basque*, de quo lib. sequenti cap. 5. §. 5. & huic opinioni doctissimi Hispanorum subscribunt.

CAPVT SECVDVM.

*De præcipuis Hispania Populis, & Insulis.*

**P**RÆSTANTISSIMA quæque ex historicis seligo, ex quibus lux affulgeat Geographiæ.

§. 1. *De Lusitanis.*

NOMEN habet à *Luso*, vel *Lysa*, Bacchi præfecto, vt fatentur omnes.

QUALITAS. *Aurifera* fuit, vt testatur Plinius, ait enim eam cum Gallæciâ & Asturiâ, vicena millia pondo auri quotannis pensitasse. Nihil de Tago commemoro, auri ad nostram vsque ætatem fertili. Fuit quoque hæc regio *feracissima*, siquidem Athenæus lib. 8. ex Polybio notat suam 100. librarum hîc tantùm emi 5. dragmis, totidem vitulum, ouem duabus; Talentum ficuum 3. obolis, bouem iugo aptum 10. dragmis, syluestria animalia vulgo data. Hîc quoque sal purpureus, qui tritus albescit.

MORES ex Strabone colliguntur lib. 3. Laconicâ utebantur viuendi ratione. Bis tantùm vngebantur: lapillis cãdentibus se calefaciebant. Frugaliter vno cibo vitabant, permutatione utebantur, pecuniæ loco. Ægros publicè exponebant Ægyptio more. Coriaceis nauigiis vsi sunt vsque ad Brutum. Prædari malebant, quàm terram colere, licet feracissimam. Lusitanicæ fortitudinis testis Viriathus, cui pares esse Romani non potuerunt, nisi fraude.

§. 2. *De Vettonibus.*

A quibusdam accensentur Lusitanæ, à quibusdam reuelluntur. Ampliores tamen habuisse aliquando fines ex Prudentio liquet, qui Aug. Emeritam caput Vettoniæ facit.

MORES ex *Strab.* 3. videntes Ro. Centuriones ambulantes insanire crediderunt, & se viæ comites in tabernacula obtulerunt. Ab iis inuenta Betonica, *Plinius*. Optimi equites erant, *Silius Italicus*.

§. 3. *De Turdulis & Turdetanis.*

VTROSQUE iungo quia aliqui Geographi eos coniunxerunt. Certè Bætica ideo *Turdetania* ab iis dicta legitur apud Stephanum.

REGIO *feracissima*, messes enim vberimas etiam inter oleas sufficit. Hinc tanta vrbium multitudo, quarum *Plinius* 175. *Strabo* 200. admittit. Hinc etiam quidam Elysijs campos illic locauere ob aëris temperiem. Lanæ quoque exquisitissimas dabat, quare indidem aries adineundas oves talento emebatur. Cuniculis infestabatur, quos indigenæ Felibus Africanis *des Furetz* capiebant. Erat quoque *opulentissima*: hinc enim Phœnices reperere dolia, & præsepia ex argento, & eo cum naues impleissent, anchors quoque argenteas extulerunt. Hinc etiam aurum paleis purgatur ob molliorem temperiem. Dabat & Minium, cuius magnum vectigal Pop. Rom. dicitur à *Plinio*.

MORES. *Liuius* vocat eos omnium Hispanorum maximè imbelles: sed vice versa omnium doctissimos *Strabo*; item vfos esse Grammaticâ, & leges versu scriptas ante sex mille annos habere.

§. 4. *De Bastulis & Bastitanis.*

EOSDEM quoque nonnulli confundunt vtpote Punicæ utroque originis, de quibus *Horatius*, — & *utroque Pœnus seruiat vni*.

MORES. Coniugia more Græco contrahebant. Ægros exponabant, vt Ægyptij; sic *Strabo*.

§. 5. *De Gallæcis.*

NOMEN habet à Gallis, vt vult *Beutherus*, vel à Galathe Her-

culis filio vt *Tarapha*, vel à Græcis vt *Iustinus*, vel à  $\gamma\acute{\epsilon}\lambda\alpha$ . vt *Isidorus* quia reliquis candidiores. Diuidebantur in *Lucenses*, qui à *Luco Augusti*, & *Braccarios*, qui à *Braccarâ* urbibus nomen accipiebant.

REGIO diues, vt ex *Plinio* vidimus. In ea mons ille sacer, & aureus de quo *Iustinus*; & glebæ hîc aureæ sæpe aratro scindebantur. Hîc quoque *Lethe Fl.* aurifer. Erat quoque in primis populosa, siquidem à *Tago ad Prom. Celticum* 30. populi celebres habitauerunt *Plinio* teste.

MORES. Dediti supra modum auguriis, & superstitioni, *Silius*. Res domesticas fœminæ curabant, viri rapinis, & bellis vacabant. Deuicti sunt à *D. Iunio Bruto* agrè, ideóque hîc *Callaicus* dictus.

#### §. 6. De Asturibus.

NOMEN habent vel à *Astyre Memnonis Auriga*, vt vult *Silius*, vel à *Fl. Astura*. Diuidebantur per *Vindium Montem* in *Transmontanos*, & *Augustanos*, quoniam hi iubente *Augusto* in planiciem deducti sunt, vt emollirentur.

REGIO sterilis & aspera, quod intellige de *Transmontana*. Hîc Equi *Asturcones* dicti, & *Astures* bello inutiles, sed qui *inconcusso glomerant vestigia dorso*, ait *Silius*, aut *ad numerum rapidos qui colligat ungues*, vt *Martialis*. Hinc quoque aurum plurimum eruebatur, vnde *Astur avarus*, &c. & *redus infelix effosso concolor auro*. Dabat item *Minium*, & *Chryfocolam*.

MORES. Generosissimi erant, & Romanos concidissent, nisi à *Brigacinis* proditi essent. Erant quoque agrestes, & feri.

#### §. 7. De Vaccæis.

ISIDORVS nomen eis tribuit ab vrbe *Vacca* ad *Pyrenæum*, sed vbi illa gentium? nisi fortè *Iacca*; at enim quid hæc ad *Vaccæos*, seu *Baccæos* *Stephani*?

MORES. Agros singulis annis mutant, & colunt, & cuique frugum assignantur partes. Morte mulctatur qui agricolam læserit. Bellicosissimi erant quod experti sunt *Ro. duces* aliquot: mirati tandem eorum virtutem, se illis dederunt.

§. 8. *De Cantabris.*

NOMEN habent, ait *Iſidorus* ab Ibero Fl. & vrbe, quam aliqui *Iuliobrigam* vocant, & dictam esse olim *Cantam* vaticinantur. Origine *Lacones* erant, vt legitur apud *Strabonem*. Aliquando sumitur pro iis omnibus populis qui iacent inter *Astures*, *Vascones*, & *Celtiberos*.

MORES. Toti erant in armis, quippe omnis in armis lucis causa sita est. Hinc ab *Horatio*, *Bellicosus Cantaber*, & *serà domitus catenâ*. Et tantùm indagine capti, vt *feræ* ab *Augusto* ad montem *Eduhium*. Affixi crucibus præna caneant. Capti suos interfecerunt præ libertatis amore.

§. 9. *De Celtiberis.*

VOCATI sunt & *Berones*, ait *Strabo*, forte à *Vero* Fl. & *Celtoſcytha*. Dicti autem *Celtiberi* à *Gallis*, qui cùm diu certassent cum indigenis, de hoc nomine conuenerunt.

REGIO. *Dives*, cuius rei signum quod *M. Marcellus* ab iis tributum nomine talentum sexagies exegit. Abundabat & ferro cui optimam stricturam dabat Fl. *Salo Bilbilim* alluens. Tamen *Diodorus*, ait hanc procurari infossis humi laminis & parte molliori per rubiginem exesa. Fuit quoque populosissima, si quidem in ea trecentas vrbes *Tiberius Gracchus* euertit, quod ait *Polybius*, irridet *Strabo*, & turres pro vrbibus dirutas suspicatur; *Florus* enim tantùm 160. vrbes agnoscit.

MORES. Facile non deserebant muros, quod ex *Liuiio* colligitur. Circa victus munditiam elegantes. Dentes tamen & totum corpus quotidie urinâ fricabant. Nocturno in plenilunio Deum in plateâ locabant, & circa eum choreas agebant. Non cremabant eorum corpora qui in bello ceciderant, sed volucris obiciiebant. De eorum simplicitate vide *Liuium* lib. 40. de *Obſidione Certimæ*. Quàm fortes fuerint docuere *Numantini* maxima *Romanæ* victoriæ mora: quos tamen aliqui *Areuacis* assignant, alij *Pelendombus*, omnes *Celtiberis*.

§. 10. *De Carpetanis.*

DICTI & Carpitani, & Carpentani, & Carpesij; ferociâ & multitudinè reliquis huius tractus populis præcellabant, & verò ausi sunt aggredi Annibalem ex Vaccæis redeuntem, à quo victi tantùm, quia temerè progressi erant in prælium. Iis tamen profligatis, nihil Pœno restitit præter Saguntum.

§. 11. *De Oretanis.*

GERMANI cognominati sunt, fortè quasi Carpetanorum fratres. Dicti item *Metesani* ab vrbe *Metesâ*. Regio eorum montibus distincta, & sylvis spissis, & præaltis vestita.

§. 12. *De Vasconibus.*

ISIDORVS nomen eis ab vrbe *Vacca* ad Pyrenæum deriuat. Historiæ Gallicæ recens scriptor à Græco *βαρμεν* quod est celeriter currere; quare à *Silio Vasco lenis* canitur. Blondus & aliquot alij à Visigothis. At Vasconum nomen priùs in Europâ auditum quàm Gothorum.

MORES. Fortissimi fuerunt, idque Sertorio contra Romanos probarunt. Sed crudelissimos arguit Calagurritana obsidio, in quâ coniuges, & liberos sale conditos vorauerunt.

§. 13. *De Balearidibus.*

ITA vocatæ sunt à *Baleo* Herculis filio, vt vult Florus; vel à voce *βαλλειν*, quia optimi fundibularij. Dictæ sunt & Insulæ *Gymnesiæ* à Græcis, vel quia earum incolæ nudi incederent ætate, vt vult *Epitomistes Liny*, vel quoniam naufragi eò appulissent Bœoti omnino nudi, *Tzetzes*.

REGIONIS qualitas. Vino abundabat optimo, & cum Italicis comparando, *Plinius*. Carebat oleo, sed illud ex terebinto efficiebat, *Aristoteles*. Nullum hîc noxium animal, imò terra hinc allata serpentem necat, *Plinius*. Portus habebat optimos & capaces, sed iis officiebant scopuli quos Strabo *χερσίδαις* vocat.

Cuniculis olim cærebant, sed illati mas & fæmina sic creuerunt, vt indigenæ ab Augusto opem implorare coacti sint, vrbibus suis penè suffossis.

MORES. Nudi æstate incedebant, fundâ cingebant caput, fundâ renes, tertiam manu ferebant; ad minimos, magnos, & mediocres ictus. Primos vsos esse fundâ putat Vegetius; perperam, illam enim à Phœnicibus fundæ auctoribus acceperant. Cibum puer non attingebat nisi indicatum à matre appetiisset. Nec auro, nec argento utebantur, nec patiebantur ad se inferri. Primi omnium laticladium induerunt, *Strabo*. De nuptiis eorum legatur *Diodorus Sic.* lib. 6. Feros & syluestres fuisse docet *Florus*.

POLITIA. *Strabo* eos à *Rhodiis* oriundos putat, qui eò post bellum Troianum appulerunt. Eò quoque venire *Bæoti*, vt suprâ inuimus; tum *Phœnices*, à quibus fundarum vsus accepere. Demum à *Romanis* domiti sunt per Metellum qui *Balearicus* dictus est, eoque Colonia Romanorum trium millium ex Hispaniâ tracta est.

#### §. 14. De Pytiusis Insulis.

A frequenti *Pinu* nomen accepere. Abundabant pecore, lanificiis exquisitissimis, & saccaro. Nullos cuniculos gignunt. Maior Ebusus serpentes non habet, quibus minor *Ophiusa* dicta infestatur, idèoque deserta est; itaque incolæ eius *Eubustanâ* humo spatium cingebant, vt hîc tuti viuerent.

#### §. 15. De Gadibus.

NOMEN huius Insulæ multiplex. 1. *Gadira*, hoc est γῆς δῆρα, collum terre, aut à filio Neptuni fratre Atlantis. 2. *Erithia*. 3. *Aphrodisias*. 4. *Iunonis* ab indigenis. 5. *Cotyusa*, ante Tyrorum aduentum, ab oleastris. 6. denique *Tartessus* à Romanis.

QUALITAS. Fuisse fertilissimam arguunt fabulæ *Geryonis*. Hîc certè lac sine sero, & nisi pecori sanguis mitteretur intra 50. dies rumperetur; quod de *Erithiâ* minore insulâ tradit *Strabo*.

POLITIA In eâ regnasse feruntur *Argantonius*, & *Geryon*. Postea *Tyriis*, deinde *Pœnis*, denique *Romanis* cessit: quibus dedit *Cornelium Balbum Garamantum* victorem, & *Columellam* rei Rusticæ scriptorem.

## §. 16. De Columnis Herculeis in freto Gaditano.

NO MEN. Tradit Ælianus dictas esse *Briarei*, sed antea *Saturni*: forte Saturni quia à longo tempore positæ; Briarei quod Herculis fuisse nomen, ait ex Clearcho Xenodotus.

Iam verò Europæa *Calpe* nominatur, quasi Hydria *καλπις*, quia in morem crateris concaua prominat in mare: Dicitur & à Tzetze *Abenna*.

Africana autem *Abyla* nuncupabatur vulgò, sed à Barbaris, quia vox illa Punica *Montem Altum* sonat vt eruitur ex Plauto, à Græcis autem appellabatur Cynegica. Erat autem Mons ille situs in Metagoniis Numidicâ Gente, vt ait Eratosthenes apud Strabonem. Sed quid istæ COLUMNÆ? octo reperio diuersas in eâ quaestione opiniones.

*Prima* est Antiquorum apud Strabonem, eas esse aliquid vltra Gades, sed quid tandem istud esset ignorabant. An intelligebant Insulas Fortunatas?

*Secunda*. Esse ipsas Gadeis videlicet vltra quas non nauigaretur.

*Tertia*. Duas petras *Symplegadas*, seu *planctas* dictas, accedentes, atque recedentes: sic quidam apud *Strabonem*, & *Eustathium*.

*Quarta*. Fuisse hîc excitatas ab Hercule Columnas, vnde locus postea nomen Columnarum retinuit; cui opinioni subscribere videtur *Strabo*.

*Quinta*. *Posidonij* apud *Strab.* Columnas esse 8. cubitorum in templo Gaditano positas ex ære à Tyriis: Idem quoque *Philostratus*, nisi quod ex auro confectas velit.

*Sexta*. Esse vrbes duas, aut vnam, aut tres, aut plures: sic enim diuersè multi sentiunt apud *Hesychium*.

*Septima*. Esse duas Insulas montibus *Calpe*, & *Abylæ* vicinas, quarum quæ *Abylam* penè attingebat *Iunonis* dicebatur, alterius tacetur nomen.

*Octaua* denique & communissima, duos esse montes, seu promontoria, quæ Hercules excidit, aut etiam aggestâ humo excitauit. Ita vulgò antiqui scriptores plerique omnes.

## ANTIQUA HISPANIÆ DIVISIO.

<p>HISPANIA CITERIOR <i>Linio &amp; aliis Ro- mana Historie scriptoribus.</i></p>	TAR-	Vbi post- ea prouin- ciæ ex <i>Noti. Imp.</i>	Tarracoenfis. Carthaginiensis. Gallæcia. Insularum.
<p>INTERIOR Straboni, SUPERIOR <i>in Goltzj inscri- ptionibus,</i> MINOR <i>Stepha- no se hanc Ibero terminauit, sin minus MAIOR.</i></p>	RA-	VBI CON- VENTVS <i>Apud Plin- ium.</i>	Braccarenfis. Asturicensis. Cluniensis. Cæsaraugustanus. Tarracoenfis. Carthaginiensis.
	CO-		
	NEN-		
	SIS	Vbi popu- li præci- pui, <i>Apud Geographos omnes.</i>	Gallæci. Astures. Vaccæi. Celtiberi. Cantabri. Vascones.
<p>HISPANIA VLTERIOR. <i>Olim Ibero dis- creta à Citerio- ri, quæ fortè ad Rhodanum vs- que protèsa fuit; postea cōtinens tātum Bæticam, &amp; Lusitaniam.</i></p>	LVSI-	VBI CON- VENTVS <i>Plinio.</i>	Pacensis. Scalabitanus. Emeritensis.
	TA-		
	NIA.	Vbi populi	Lusitani. Vettones. Turdetani. } ex parte. Celtici. }
	BÆ-	VBI CON- VENTVS <i>Plinio.</i>	Gaditanus. Hispalensis. Astygitanus. Cordubensis.
<p>EXTERIOR <i>Straboni.</i> INFERIOR <i>in Goltzj inscr.</i> MAIOR, aut MINOR <i>Stephano.</i></p>	TI-	Vbi populi	Bastuli qui & Pæni. Turduli. Turdetani. } ex parte. Celtici. }
	CA.		
		Cui postea addi- ta in Notitiâ.	TINGITANA.



*Diuisio antiqua Hispania in populos.*§. 1. *In Lusitania.*

	AVGVSTA EMERITA, caput Lusitanix: <i>Meride:</i> Scalabiscus: <i>Santaren.</i>
LVSII-	Pax Augusta, seu Pacensis Colonia: <i>Badaios.</i> Ebora, seu Liberalitas Iulia: <i>Euora.</i>
TANI	Norba Cæsarea: <i>Alcantara</i> , ponte Traiani clara. Olyssippo & Vlyssippo: <i>Lisbonne</i> , & iuxtà mons Tagrus <i>M. de Sintra.</i>
Nunc	Liciniana, seu Ciniana Valerio Maximo: <i>la Lifeda.</i> Lauara, aut Lauare: <i>Aueiro</i> , aliis <i>Porto</i> , sed malè. Verrunum: <i>Viseu.</i>
Extrema du- ra, Bei- ria, & partes	Vacus & Vaca, & Vacua: <i>Vouga Fl.</i> Munda, & Mulias Fl. <i>Mondego.</i>
Antra- Duero- Minho;	Æminium cum Fl. cognomine: <i>Agada</i> , vel <i>Aquida.</i> Conimbrica, seu Conimbriga: <i>Condexa veia</i> , malè vul- gò <i>Conimbre.</i>
Tago- Guadia- na, & Monta- na.	Vacca, seu Baccia: <i>Ponte Vouga.</i> Concordia cuius incolæ Boccori dicti: <i>Tomar.</i> Castra Cæcilia: <i>Caceres</i> , Barrerio tamen, <i>S. Marie de</i> <i>Guadeloupe.</i> Metallina, seu Metalliensis Colonia: <i>Metelin.</i> Tagi ostium: <i>la Bouche du Tage.</i> Lunæ Prom. <i>le Cap de Sintra.</i>
	SALMANTICA seu Hermandica: <i>Salamanque</i> , seu <i>Sala-</i> <i>manca.</i>
VET- TO- NES	Cottæobriga: <i>Ciudal Rodrigo.</i> Deobriga <i>Placentia</i> : quibusdam meliùs <i>Venta Malabriga.</i> Lama aliis <i>Almaraz</i> : aliis meliùs <i>Lamega supra Rodrigo.</i>
Pars	Manliana: nunc <i>Villa Franca</i> , malè <i>Villa maior.</i>
Tramõ- tane & Legionis	Obila: nunc <i>Oropeza.</i> Lanciana cuius incolæ Lancienses, & Ocellenses: <i>Pen-</i> <i>na di Francia.</i>

*cis Durium.* | Augustobriga: *Ponte de Arcobisbo*; non *Medina cali*, ut quidam.

PARS TVRDE- | Pax Iulia: *Beia*, unde à Mauris dicebatur *Pacca*.  
TANO- | Ossonaba, dicta *Lesturia*: aliis *Estombar*, aliis *Sylues*,  
RVM } aliis *Faro*.  
Districtus } Lacobriga, dicta & Langobriga: *Lagos*.  
*Beiensis* & } Myrtilis: *Mertola*.  
*Algaruia.* } Mirobriga: *Moenstira de Rabiãa*.  
} Salacia apud Antoninum Salaria: *Alcocer do sal.*


PARS CEL- | Cunistorgis, seu Conistorfis: *Couna*.  
TICORVM } Langobriga: *Camora de Corea*, viro docto.  
*Pars Eborensis,* } Carobrix: *Setubal*, meo iudicio, non *Cezembra*.  
& *Eluensis di-* } Cæpiana: *Cezembra*, malè quibusdam *Setubal*.  
*strictus.* } Barbarium Prom. *Cap de Spichel*.

§. 2. In *Batica*.

PARS CELTICORVM } Aruci: nunc *Moura*.  
*Pars Eluensis districtus.* } Aranda, seu Arandis: nunc *Mouræon*.

PARS TVRDE- | HISPALIS, seu Hispal: *Seuille*, omnium iudicio.  
TANO- | Taressus ad ostia Bætis: *omnino intercidit*.  
RVM. | Astigij seu Colonia Augusta Firma: *Ecyã*.  
} Nebrissa Romana Col. *Lebrissa*, aut *Nebrissa*.  
} Asta: *Xeres de la Frontera*, alij alias proponunt.  
*Pars Hispan-* } Segontia: *Gisconça*.  
*lensis terri-* } Italica, seu Ilipa Italica: *Senilla veia*.  
*torij, &* } Asindum Ptolemæo *Afyla*: *Medina Sidonia*.  
*Ducatus* } Mnestei portus: *le port de Saincte Marie*.  
*Medina,* } Ebura ad quã *Luciferi tēplum*: *S. Lucar de Baramede*.  
*Sidonia,* } Carmonia: *Carmona*.  
*pene totus.* } Bætis ostium: *la Bouche de Guadalquivir*.

B A- | Carteia dicta aliter Taressus: hodie *Tariffa*.  
STVLI } Besippo: *Vegel*, malè quibusdam *Ciclana*.  
QVI } Belon & Bælon, & Bello: *Berger*.  
ET } Heraclæa: *Gilbratar*.  
POE- | FRE- } aliter Herculeum dicitur, seu Herculis via se-  
NI } TVM } xaginta stadiis patens teste *Polybio*, dicitur item





<p><i>Minima pars Ducatus Mediane Sionie, Episcopatus Malacensis, Almeriensis in regno Granate cum Insula Calis.</i></p>	<p>GADITA- N V M } Limen inferni maris, &amp; Fretum Columnarum, &amp; Traducta <i>Greg. Turonensi.</i></p> <p>Barbefola, Colonia &amp; Fluius: <i>Marbella.</i></p> <p>Succubo, seu Succubitanum Municipium, sita erat in montibus, vulgò <i>Sierras de Ronda.</i></p> <p>Munda: nomen retinet <i>Monda.</i></p> <p>Cartima: <i>Cartama</i>, ad Illipulæ montis radices.</p> <p>Malaca: <i>Malaga</i>, seu <i>Malgues.</i></p> <p>Manoba: <i>Almunecar</i> dicta est, &amp; <i>Mænoba</i> cum Fl. cognomine.</p> <p>Selambina: <i>Salobrenna.</i></p> <p>Abdera: <i>Almeria</i>, aliis <i>Adra.</i></p> <p>Magnus portus, quid sit non possum statuere, quibusdam <i>Almeria.</i></p> <p>Charidemum Pro. ab omnibus, <i>Cabo de Gates.</i></p> <p>Murgis: <i>Muxacra</i>, aliis malè <i>Murcia</i>, Bæticæ finis.</p> <p><i>De Gadibus eò spectantibus dicitur postea in Insulis.</i></p>
<p>T V R- D V L I</p> <p><i>Territorium Cordubense in Andalusia, &amp; Episcop. Granatensis in regno Granatensi, &amp; pars Extremadura Castellane.</i></p>	<p>C O R D V B A Colonia Patricia: <i>Cordonè</i> Carduis celebrata.</p> <p>Illiberis: <i>Granata</i>, vt colligitur ex inscriptione.</p> <p>Accitum: <i>Sigüiana.</i></p> <p>Artigis seu vrbs Iulienfis: <i>Albama.</i></p> <p>Mons Illipula: <i>Sierra de Ronda.</i></p> <p>Alba, quæ &amp; Virgao, seu Alba Vircaonenfis: <i>Ariona</i>, locus propè <i>Iæn.</i></p> <p>Illiturgi Forum Iulium dicta: <i>Anduxar el Veio</i>, aut <i>Iæn.</i></p> <p>Obulco: <i>Porcuna</i>, à statua Scrofæ sic dicta.</p> <p>Syneglia, Anticaria, Antonini: <i>Antiquerra.</i></p> <p>Astapa, fortè &amp; Ostipo: <i>Estepa</i>, vel <i>Stepa.</i></p> <p>Vrso, seu Gemina urbanorum: <i>Ossuna.</i></p> <p>Illipula magna: <i>Penna Flor</i>, malè <i>Grenade.</i></p> <p>Montes Mariani: <i>Sierra de Morena</i>, vnde æs Marianum Plinio.</p> <p>Segouia <i>Segovia La Menor</i>, ad Fl. Syngilim, seu Silioencem <i>Xenil.</i></p>

§. 3. In Tarraconensi.

GAL- LÆ- CI seu CAL- LÆ- CEN- CI	Pars magna Portu- gallia intra Miniū, & Du- rium: Et pars Tra- monta- ne.  Gallicia integra.	} <table border="0"> <tr> <td>BRAC-</td> <td>BRACCARA AVGVSTA: <i>Bragues</i>, ad Cauarum</td> </tr> <tr> <td>CA-</td> <td><i>Cauado</i> Fl.</td> </tr> <tr> <td>R II</td> <td>Forum Cuacernorum: <i>Villa Beia</i>.</td> </tr> <tr> <td></td> <td>Aquæ calidæ Cilinorum, seu Aquæ Cilinæ: <i>Orense</i>.</td> </tr> <tr> <td></td> <td>Aquæ Flauix Turodorum: <i>Chanes</i>, ad Fl. Ta- maram.</td> </tr> <tr> <td></td> <td>Cœliobriga Cœlerinorum: <i>Villa de Conde</i>.</td> </tr> <tr> <td></td> <td>Forum Limicorum: <i>Ponte de Lima</i>, ad Limium Fluuium.</td> </tr> <tr> <td></td> <td>Merua Luangorum, seu Meruia: <i>Lobies</i>.</td> </tr> <tr> <td></td> <td>Volobriga Nemetanorum: <i>Viana</i> fortè.</td> </tr> <tr> <td></td> <td>Forum Narbaforum: fortè <i>Tor de Moncoruo</i>.</td> </tr> </table>	BRAC-	BRACCARA AVGVSTA: <i>Bragues</i> , ad Cauarum	CA-	<i>Cauado</i> Fl.	R II	Forum Cuacernorum: <i>Villa Beia</i> .		Aquæ calidæ Cilinorum, seu Aquæ Cilinæ: <i>Orense</i> .		Aquæ Flauix Turodorum: <i>Chanes</i> , ad Fl. Ta- maram.		Cœliobriga Cœlerinorum: <i>Villa de Conde</i> .		Forum Limicorum: <i>Ponte de Lima</i> , ad Limium Fluuium.		Merua Luangorum, seu Meruia: <i>Lobies</i> .		Volobriga Nemetanorum: <i>Viana</i> fortè.		Forum Narbaforum: fortè <i>Tor de Moncoruo</i> .	<table border="0"> <tr> <td>CI</td> <td>Cambætum Lubænorum: <i>Miranda de Douro</i>.</td> </tr> <tr> <td rowspan="4">Flu- uij</td> <td rowspan="4">}           <table border="0"> <tr> <td>Durius: <i>Douero</i>.</td> </tr> <tr> <td>Minius: <i>Minho</i>.</td> </tr> <tr> <td>Lethe, seu Limias: <i>Lima</i>. [uado:</td> </tr> <tr> <td>Cauarus, seu Celandus &amp; Alestes: <i>Ca-</i></td> </tr> </table> </td> </tr> </table>	CI	Cambætum Lubænorum: <i>Miranda de Douro</i> .	Flu- uij	} <table border="0"> <tr> <td>Durius: <i>Douero</i>.</td> </tr> <tr> <td>Minius: <i>Minho</i>.</td> </tr> <tr> <td>Lethe, seu Limias: <i>Lima</i>. [uado:</td> </tr> <tr> <td>Cauarus, seu Celandus &amp; Alestes: <i>Ca-</i></td> </tr> </table>	Durius: <i>Douero</i> .	Minius: <i>Minho</i> .	Lethe, seu Limias: <i>Lima</i> . [uado:	Cauarus, seu Celandus & Alestes: <i>Ca-</i>
			BRAC-	BRACCARA AVGVSTA: <i>Bragues</i> , ad Cauarum																											
			CA-	<i>Cauado</i> Fl.																											
			R II	Forum Cuacernorum: <i>Villa Beia</i> .																											
				Aquæ calidæ Cilinorum, seu Aquæ Cilinæ: <i>Orense</i> .																											
				Aquæ Flauix Turodorum: <i>Chanes</i> , ad Fl. Ta- maram.																											
				Cœliobriga Cœlerinorum: <i>Villa de Conde</i> .																											
				Forum Limicorum: <i>Ponte de Lima</i> , ad Limium Fluuium.																											
				Merua Luangorum, seu Meruia: <i>Lobies</i> .																											
				Volobriga Nemetanorum: <i>Viana</i> fortè.																											
	Forum Narbaforum: fortè <i>Tor de Moncoruo</i> .																														
CI	Cambætum Lubænorum: <i>Miranda de Douro</i> .																														
Flu- uij	} <table border="0"> <tr> <td>Durius: <i>Douero</i>.</td> </tr> <tr> <td>Minius: <i>Minho</i>.</td> </tr> <tr> <td>Lethe, seu Limias: <i>Lima</i>. [uado:</td> </tr> <tr> <td>Cauarus, seu Celandus &amp; Alestes: <i>Ca-</i></td> </tr> </table>	Durius: <i>Douero</i> .	Minius: <i>Minho</i> .	Lethe, seu Limias: <i>Lima</i> . [uado:	Cauarus, seu Celandus & Alestes: <i>Ca-</i>																										
		Durius: <i>Douero</i> .																													
		Minius: <i>Minho</i> .																													
		Lethe, seu Limias: <i>Lima</i> . [uado:																													
Cauarus, seu Celandus & Alestes: <i>Ca-</i>																															
	LVCVS AVGVSTI: <i>Lugo</i> .																														
	Flauium Brigantium in magno portu: <i>la Co- rugna</i> .																														
L V-	Ianasus: <i>Compostella</i> , quidam cum Flauio Bri- gantio confundunt.																														
CEN-	Iria Flauia Cæporum: <i>le Padron</i> .																														
S E S	Dactonium: <i>Montfort de Lemnos</i> .																														
	Ocellum: fortè <i>Mondonedo</i> .																														
	Artabrorum Pro. <i>le Cap de Fine-terre</i> . Item Celticum & Nerium dicitur.																														
	Claudiomerium: <i>Muros</i> .																														
	Ierna Mons: <i>Namancos</i> .																														
	Flauia Lambris Beduorum: <i>Saincte Marie de Fine-terre</i> .																														
	Lapatia Cory Pro, seu Trileucum: <i>Cap d'Orte- gal</i> .																														

- Pintia: *Villa-pun*, locus quidam ignobilis.  
 Tyde Grauiorum: *Tuy*.  
 } Nabius: *Rio En de Miranda*.  
 Fluuij } Mearus: *Rio Maior*.  
 } Vix: nunc *Rio Allons*.  
*De Castiteribus & Insulis Deorū postea in Insulis.*
- TRANS- } LVCVS ASTVRVM: *Ouedo*, hīc sacra Astu-  
 MON- } rum celebrabantur.  
 TANI } Flauionauia Pacicorum: *Auilles*.  
 } Pelontium Lingonum, seu Lungorum,  
 } *Aplans*, seu *Ablans*.  
 Asturia- } Laberris: aut *Pennastor*, aut *S. Saluador*.  
 AS- } Mons Vindius, hodie *le Mont des Asturies*.  
 Onetana. } Astura Fl. *Astario*, seu *Asturio*.
- TV- } AV- } ASTVRICA AVGVSTA: *Astorgo*, vrbs Amaco-  
 GV- } rum.  
 STA- } Legio VII. Germanica, vel Gemina condita  
 NI } Sublācia loco, hodie hęc *Sollanca* illa *Leon*.  
 RES } Interamnium Flauium: *Pontferrada*.  
 } Pars re- } Brigætium Brigæcinorum: *Brigantia*.  
 } gni Le- } Lanciatum Lanciatorum & Lancia: fortè  
 } gionen- } *Mansilla*.  
 } sis trans } Bedunia Bedunefiorum: fortè *Puebla de Sana-*  
 } Duriū. } *bria*.  
 } Nemetobriga Tiburonum: *Nuez*, aut *Torbes*.
- VACCÆI } PINTIA: *Valladolid*, ad Pisoracam, *Pisuerga* Fl.  
 } Sentic: *Zamora*.  
 } Mālianus Saltus versus Mālianā vrbē in Vettonib<sup>9</sup>.  
 Pars Regni } Sarabris aut Sarabris: *Toro* à statuā Tauri.  
 Legionensis } Caufa, seu Caucia: *Coca*.  
 cis & trans } Pallancia: *Pallencia*, vbi Romani aliās cæfi.  
 Durium, & } Intercatia: *Medina del Rio secco* fortè.  
 pars Castella } Segontia Paramica, seu Sepontia: *Massoco*.  
 Veteris. } Lacobriga fortè: *Melgar*, aut *Meobriga*.  
 } Arbacula, aut Albucella: *Auila*.
- AREVA- } CLVNIA Colonia Sulpitia: *Coruna del Conte*.  
 CÆ } Lutia, vbi Scipio Iunior fœuit: *intercidit omnino*.  
 Ter-

Dicti à Fl. Ar- ua <i>Arlance.</i>	Termes & Termifum : aut <i>Lerma</i> , aut <i>Taruides</i> , aut <i>N. Sennora de Tiermes.</i>
Pars <i>Vallisoleta- na Meridale, to- ta Segouienfis, &amp; pars Burgen- fis.</i>	Vxama : <i>Ofma.</i> Segubia : <i>Segobia</i> , nobis <i>Segonie.</i> Rauda : <i>Aranda de Douero.</i> Colenda : <i>Conarrunias.</i> Litabrum aut Britablum : <i>Marcotea.</i> Segortia lactea : <i>Sepulveda.</i>
C A R P E- T A N I	TOLETVM : <i>Toledo.</i> Mantua Capentanorum : <i>Villa Man'a</i> , ad Ma- dritum vicus. Complutum : <i>Alcala de Henarez</i> , antea <i>S. Iufti.</i> Carraca, feu Arriaca : <i>Guadalaiara</i> , ad Fl. Tago- nium <i>Arriaca.</i> Tituacia : <i>Xetafe</i> , aliter <i>Echetafe.</i> Illucia : <i>Illescas.</i> Laminium : <i>Mtinaya</i> , vel <i>villa de los Infantes.</i> Libora, feu Ebury : <i>Talauera la Reina.</i> Contrebia : <i>Tortofa</i> , supra <i>Gualaiaram.</i> Afenâ : fortè <i>Almeda.</i> Vicus Cucuminarius : <i>S. Crux de la Carza.</i> Olcades populi quorû caput Cartheia : <i>Occana.</i>
Pars <i>Algarrie,</i> pars item <i>Man- che in Castellâ nouâ.</i>	ORETVM Germanicum, feu Oria : <i>N. Sennora de Oreto.</i> Castulo antiquiffima ciuitas dicta & Castaon : <i>Cazorla.</i> Quidam tamen Castaonem à Ca- stulone distinguunt. Sifapone Oretanorum dicta : <i>Chillon</i> , aut <i>villa Real.</i> Mentefa, feu Mentiffa : <i>Montiel.</i> Biatia : <i>Bacia</i> , vel vt alij pronunciant <i>Bacea.</i> Saltus Tugiensis : lucus ad <i>ville Nenne d'Alcaraz</i> , nunc <i>sierra d'Alcaraz.</i> Nolibia, feu Nolibia : circa <i>Malaga.</i> Cufibi : circa <i>Consuegram.</i>
CAN- P R O- P R I E	I V L I O B R I G A : <i>Val de Vieffe</i> , fortè. Concana, Fusâ fatiaris Concane venâ : <i>San- LI</i>

	DICTI	<i>tillana</i> fortè.
	Pars A-	Camarica, seu Tamarica, ad quam Tamarici
	sturia	fontes: <i>Fuenlibre</i> .
T A-	Santilla-	Vellica: <i>M. dina de Pomar</i> .
	ne, &	Vesciuesca, seu Vescius portus: <i>Santandero</i> .
	Biscaia	Aracillum: aut <i>Arcaraca</i> , aut <i>Tor de Cillos</i> .
BRI	vere.	Mons Edullus: <i>Mont S. Adrian</i> .
	AV-	FLAVIOBRIGA, antea portus Amanus: <i>Bilbao</i> .
	TRI-	Deobriga Municipium: <i>Haro</i> , aut <i>Miranda de</i>
	GO-	<i>Ebro</i> .
In A-	NES	Vxama-Barea: <i>Laredo</i> .
sturià	Pars A-	Saliunca: <i>Ordunna</i> fortè.
Bif-	lana, &	Buruesca, seu Virouesca: <i>Biruiesca</i> .
catià	Biscaia.	Segisamùcula, seu Segisama minor: <i>Villa Beia</i> :
verà,	CARISTI	Vella, seu Belleia: <i>Trenigno</i> fortè.
Ala-	Pars Biscaia,	Tullica: fortè <i>la Venta</i> .
ua, &	& Guipuscoa.	Diua, aut Deua: hodie nomē retinet <i>Deua</i> .
Gui-	VAR-	Segontia Paramica: <i>Sergame</i> .
pas-	DVLI	Tritium dictū Tuboricū, seu Tobolicū: <i>Placēza</i> .
coa.	Pars	Menosca: <i>Orio</i> .
	Alana	Alba: fortè <i>Saluatierra</i> .
	& Bis-	Tullonium: <i>Tudelle</i> .
	caia.	Thabuca: <i>Lancugno</i> .
MVRBOGI	BRAWM & Masburgi:	<i>Burgos</i> .
fortè & Cur-	Auca: N. Sennora de Occa, XX. M. P. à <i>Burgos</i> .	
gonij.	Sifaraca: <i>Saldiendo</i> fortè.	
Paries Burgē-	Setifacum: <i>Saltos</i> non abludit.	
sis Meridals,	Deobrigula quasi parua Deobriga: <i>S. Pierre d'Ar-</i>	
& Rinogia.	<i>lanza</i> .	
BASTI-	BASTI: <i>Baza</i> , Vrce Ptol. Virgi Plinio, vnde Sinus	
TANI	Virgitanus: <i>Vera</i> , seu <i>Bera</i> .	
	Salaria, seu Colonia Salarientis: <i>Requenna</i> .	
Territorium	Carca: <i>Carauaca</i> viderur.	
Murcia, &	Turbula: <i>Teruel</i> fortè.	
Episcopatus	Acci: <i>Guadix</i> , nemine reclamante.	
Accitanus de	Orcellis: certè: <i>Oribuella</i> .	
Guadix,	Vergilia, seu Vescelia: <i>Murcia</i> , meo iudicio:	

CON-  
T E S-  
TANI

CARTHAGO NOVA: *Carthagine.*  
 Illici Illicias, & Ilce: *Elche.*  
 Alone, seu Holone Liuij: *Alicante.*  
 Lucentum, seu Lucentia: *Luchene.*  
 Sætabis cuius lina laudantur: *Xatua.*  
 Pars  
 maxi-  
 ma Re-  
 gni Va-  
 lentia.  
 Menlaria, seu Menralia: *Millarez*, meo iudicio.  
 Dianium dictum stipendiarium: *Denia*, Specula Sertorij.  
 Valentia: *Valence*, dicta & Col. Iulia.  
 Suco Fl. hodie *Xucar.*  
 Scombraria Pro. seu Saturni: *Cap. de Palos.*  
 Turia Fl. Ptolemæo Turulis, hodie: *Guadalauiar* ad  
 Valentiam.

CEL-  
TI-  
BE-  
RI

PRO-  
PRIE  
DICTI  
CEL-  
TIBE-  
RI

Pars E-  
piscopa-  
tus Tar-  
raconen-  
sis & Epi-  
scopatus  
Casarau-  
gustani:  
pars Sier-  
re in no-  
ua Castel-  
la, &  
minima  
pars re-  
gni Va-  
lentia.

SEGOB RIGA & Segontia, & Saguntia: *Si-  
guença.*  
 Bilbilis: vulgò *Calatayud*, meliùs *Villa Veia*,  
 in monte *Baubulâ.*  
 Aquæ Bilbilitanæ: *les Bains d'Albama.*  
 Salo Fl. *Xalon.*  
 Cogædus Fl. *Rio de Codes.*  
 Nertobriga, seu Vertobriga: *Almunha.*  
 Turiasso vbi ferri temperatura nobilis *Tara-  
zona.*  
 Caunus Mons, seu Canus, & Cacus: *Moncayo.*  
 Cæsada, seu Cessata: *Hita.*  
 Ecelesta, Egelaste, & Etelesta: *Medina celi*, ex  
 inscriptione.  
 Arcobriga, seu Alce: *Arcoz.*  
 Ergauica, seu Ergauia: *Alcannis*, aliis *Penna  
Escruta.*  
 Certima: *Contamina.*  
 Munda fortè Mediolum Ptol. *Molina.*  
 Belgida, fortè & Segeda dicta: *Montacudo.*  
 Attacum, & municipium Attacense: *Daroca.*  
 Valeria, seu Castrum altum: *uença.*

LOBETA-  
NI Episc. } Loberum Loberanorum fortè idem cum  
 Albarazin. } Anatorgis Liuij: *Albarazin*, antea &  
 Turia dicta.

- PELEN- { NVMANTIA locatur ab aliis in Areuacis: *Ga-*  
 DO- { *ray pon*: vicus ignobilis supra Soriam.  
 NES } Augustobriga: *Agreda*, aut *Aldea-el-Muro*.  
*Soriensis* } Sauija: *Aquilar*, fortè.  
*Meridala*. } Vifontium: *Arcedillo*.
- BERO- { Varia: *Alfaro*, quasi *Alvaro*.  
 NES } Tritium metallum: *Tricio*, vicus prope  
*Pars Rinogie*. } *Naiaram*.
- EDETANI { CÆSARAVGVSTA: *Sarragoça*, olim *Salduba*.  
 Saguntus, seu Saguntum: *Moruedro*, hoc est Muri  
 veteres.  
*Pars Episco-* } Pallentia Fl. *Moruedro*.  
*patus Cæsar-* } Edeta dicta & *Leria*, sicut & nunc: *Liria*.  
*augustani*, & } *Belia*: *Belchite*.  
*Regni Valen-* } *Ebor* Edetanorum: *Ixar*.  
*tie*. } *Leonica* populi *Leonicentes*: *Oliete*.  
 } *Segoriga*: *Segorbe*, nonnulli putant, nescio.
- I L E R- { CARTHAGO VETVS in loco vbi *Penial*, castrum in  
 CAONES } monte.  
 } *Octogesa*: *Mequinença*.  
 } *Dertosa*: *Tortosa*.  
*Pars Cata-* } *Triariulia*: nunc *Trayguera*.  
*lania*, trans } *Biscargis*: fortè *Ribaioia*.  
*Iberum*, & } *Adeda*: fortè nunc *Amposta*.  
*pars Valen-* } *Tenebrius* portus: *Portus Viucros*.  
*tie*. } *Tenebrium* Pro. *Cabo de Forbat*.
- VASCO- { POMPELON, seu Pompeiopolis: *Pampelone*.  
 NES } *Calagurris* cognomine *Fibularia*: *Calaborre*.  
 } *Gracuris*: *Boria*, vel *Agreda*.  
 } *Suessla*: *Sanguessa*, vt ex archiuis vrbis probat *Flo-*  
*Pars Nauar-* } *Iacca* fortè, & *Vacca* *Isidori*: *Iacca*.  
*re maxima*, } *Nemanturista*: fortè *Olite*.  
*item & pars* } *Curconium*, & *Curgonium*: fortè *Estella*.  
*Guipuscoe*, & } *Bascontum*: *Casante*, quia dicebatur olim & *Ca-*  
*pars minima* } *scantum* municipium.

Episcopatus  
Caesaraugustani.

Setia, vel Sitia: *Exea.*  
Oeaso Pro. seu Iarfo, aut Gerfo: *Cap de Fontarabie.*

Oeaso vrbs seu Oeasopolis diruta in valle *Oiarco.*  
Mons Pyrenæus, ita dictus vel ab igne quo deflagruit, vel à Pyrena virgine per Herculé vitiatâ.

ILERDA Sardonum caput Salsamentis laudata:  
*Lerida.*

Sicoris Fl. Sicanus Thucydidi: *le Segre.*

Osca in Vescitaniâ regione: *Huesca,* Academia Sertorij.

ILERGETES

Calagurris Nascica cognominata: *Omnino periit,* prope Oscam.

Partes Oscens  
Episcopatus,  
Caesaraugustani,  
& Balbastrensis.

Athanagia Liuij, quid sit nescio, an *Manresa,* an *Tarrega,* an *Sanhuan.*

Celsa, & Colon. Victoria: *Xelisa,* aut viculus *Vililla.*

Succosa: *Ainsa,* aliter *Sobarbre.*

Illiturgi: *Carinnena.*

Bergidum: fortè *Balbastre,* aliis *Viescas.*

Bergusia: aut *Balaquier,* aut *Puertolas.*

Orgia: *Aluaratz,* aut *Benauarre.*

Gallica Flauia: *Fraga.*

Cinga Fl. violentus: *Senga.*

LACETANI,  
aliis IACETANI

Iespus: *Belpuci.*

Vdura: fortè *Andore,* vel *Andorra.*

Pompeij trophæa: locus prope *Andore,* vbi videntur etiam hoc tempore reliquiae Trophæi.

Pars Ilerdensis  
Episcopatus,  
& pars  
Catalaniae  
nova.

Aceris: *Gerri.*

Setelsis: *Yrgel,* aliis *Astarlid.*

Cereffus: fortè *Solfona.*

Anabis: fortè *Iguatada.*

Lissa aut Lessa: fortè *Oliana.*

COERRETANI, in Catalania ad Pyrenæum } Iulia Libyca: *Linca.*

CASTELLANI, in Catalania } Bessida: *Bessalu.*

ad procursum Pyrenæi Montis. } Sebendunû: *Sabreroca,* aut *Capredo.*

EMPORIÆ: castrum *Empurias.*

INDIGETES } Sambroca Fl. *Ter.*

TES	Clodianus Fl. aliter Alba: <i>Lobregat.</i> Mons Iouis: <i>Monte Iudaico.</i>
<i>Pars Comitatus Ruscinonensis.</i>	Rhoda, Rhodope, & Rhodopolis: <i>Rhofes.</i> Veneris templum, seu Aphrodisium: aut <i>Cabo de Creus</i> , aut <i>Puerto Vendres.</i> Iuncaria: <i>Iunquera.</i>
AVTHE- TANI, <i>Pars</i> <i>Catalaniæ ver-</i> <i>sus Gerundam.</i>	GERVNDÆ: <i>Girona</i> , Gallicè <i>Gironde.</i> Aceruaria rupes: <i>Col de Nuria.</i> Ausa: <i>Vich.</i> Aquæ calidæ, seu Aquæ Voconis: <i>Bagnole.</i>
LÆETA- NI	BARCINO: <i>Barcelone</i> , & Barcinus non procul à Betulone Fl. <i>Besons.</i> Scalæ Annibalis: <i>Coste de Garaf.</i> Mons Iouis: <i>Montini.</i> Subur: fortè <i>Segur.</i>
<i>In Catalaniæ</i> <i>parte Man-</i> <i>timâ.</i>	Rubricatus Fl. <i>Lobregat.</i> Rubricata: <i>Mattorel.</i> Bætulum: <i>Badelona.</i> Lunarium Pro. <i>Cap. de Tossa</i> , aut <i>Palafugel.</i> Dilurum, & Illuro: <i>Mitaro</i> , aut <i>Canette.</i> Blanda: <i>Blanes.</i>
COSETA- NI	TARRACO Scipionum opus: <i>Tarragone.</i> Thulcis Fl. aut Torrens: <i>Francolin.</i>
<i>In noua Cata-</i> <i>lania ad Mare</i> <i>cis Iberum.</i>	Iberis Fl. quem ridiculè Appianus in Borealem Oceanum immittit, & mediam secare Hispa- niam asserit: vulgè <i>Ebro.</i>

§. 4. *Insulae ad Hispaniam.*

IN	OESTRYM- NIDES	Sunt aut minutæ Insulæ supra Galiciam, aut infra Argarbiam, alij cum Cassiteribus confundunt: <i>les Sorlingues.</i>
O-	LODOBRIS	{ <i>Barlingas</i> hodie.
CEA-	INSVLÆ DEORVM	{ <i>Les Isles de Baione.</i>
	GA-	GADIRA hausta est omnino aquarū vorticibus. TEMPLVM Herculis: <i>Torres de Hercules.</i> Templum Saturni: <i>la pointe de S. Sebastien.</i>

NO.	DEIS	Monumentum Geryonis, Scopulus in mari qui disparuit.	
	Calis.	Arbas mons in quo pernoctavit Hercules. Erithia Inf. stadio vno à Gadeira distita in Occi- dentem; hausta est, aut cum Gadibus cōiuncta.	
IN	BA-	MA-	PALMA: <i>Maiorca.</i>
MA-	LEA-	IOR	Pollentia: <i>ruinae prope Alcudiam visun-</i> <i>tur.</i>
RI	RES,	Ma-	Iatina Plinij: <i>Palomera.</i>
	seu	ior-	Cinium: <i>Calalonga.</i>
	GYM-	que.	Cunici: <i>Calasiguer.</i>
	NE-		Bochri: <i>Suggiari.</i>
ME-	SIÆ,	MINOR	IAMNA: <i>Cittadella.</i>
DI-	Royau-	Minor-	Ianifera: <i>Fornelle.</i>
	me de	que.	Mago, <i>Minorca, aut Porto Mahon:</i>
TER-	Maior-		Capraria: <i>Cabrera.</i>
	que.		Colubraria versus Sucronem Fl. nunc <i>Moncolu-</i> <i>ber, &amp; Mon-Colibre.</i>
RA-	PI-		EBVSVS, Busus, & Ebofia Carthaginensium
NEO.	TYV-		Colonia: <i>Tuica.</i>
	SÆ		Ophiusa, seu Colubraria plena serpentibus:
	Tuica.		<i>Formentera.</i>

§. 5. De Carthagine Noua.

CONDITA est *Carthago Noua* ab Asdrubale Amilcaris gene-  
ro, cui successit Annibal. Spartaria dicta est à Sparto iunci gene-  
re. Hanc Pœni belli Hispanici sedem fecerant, donec à Scipione  
ingeniosè, & fortiter capta fuit.

Erat autem sita in sinu peramplo cui *Scombaria* Insula, nunc  
*Escombera*, duas faciebat angustias: à parte tamen Occidentali sta-  
gno stringebatur, quod mari committebatur. Vrbs erat condita  
in Chersoneso in hunc sinum procurrente, quam Isthmus conti-  
nenti necebat, in quo *Tentatis* tumulus. In hac vrbe Tempora qua-  
tuor. 1. *Asclepij* maximum. 2. *Vulcani*. 3. *Alethi* qui argenti fodi-  
nas inuenit, ideòque Deus creditur. 4. *Saturni*. Hanc illustrabat  
quoque *Regia Asdrubalis*; quæ omnia in sequentis Tabulæ appen-  
dice videbis.

§. 6. *Diuisio Hispaniæ secundum Plinium, in 14. Conuentus.*NVM. 1. *Conuentus in Bætica.*

GADITANVS. Continebat partem territorij Hispalensis, & Gades Insulam. } Gadira caput Conuentus: ibi & Carteia Græcis Tartessos dicta.

HISPALENSIS. Complectebatur maximam partem territorij Hispalensis. } Caput Conuētus Hispalis Colonia cognomine Romulēsis. Hic quoque Ilija cognomine Italica.

ASTIGITANVS. Extendebatur ad partem territorij Hispalensis, & præterea ex Regno Granatensi Episcopatum Malacensem decerpebat. } Caput Astygi cognomine Augusta Firma Colonia, vbi quoque Munda prælio in filios Pompeij clara.

CORDVBENSIS. Cōtinebat territorium Cordubense, & totum regnum Granatense, præter Episcopatum Malacensem. } Caput Corduba cogno. Colonia Patricia. Vbi quoque Murgis Bæticæ finis.

NVM. 2. *Conuentus in Lusitania.*

PACENSIS. Continebat Portugalliam partem scilicet Antra Teio-Guadiana, & Algarbiam. } Caput pax Iulia Beia, vbi & Ossonoba, & Eboræ seu Ebura dicta Cerealis.

SCALABITANVS. Complectebatur Beiriam, Extremaduram Portugalliam, & magnam partem Tramontanæ. } Scalabiscus caput Conuentus Santaren. Hic quoque Olyssippo Lisbonæ.

EMERITENSIS. Cōtinebat partem Regni Legionensis cis Durium, & Extremaduram Castellæ totam. } Augusta Emerita caput Conuentus Meride, celebrata suo cocco, & oliuis.

NVM. 3. *Conuentus in Tarraconensi.*

LVCENSIS. Galiciam totam continebat. } Caput Lucus Augusti. In hoc Conuentu censebantur liberorum capitum 166000. vel vt alij codices 175000.

BRACCARENSIS. Complectebatur } Caput Braccara Augusta, &  
 magnā partē Portugallia Antra-Mir- } in eo fuerunt capita 275000.  
 ho-Douero, & partem Tramontanæ. } & 24. ciuitates.

ASTVRICENSIS. Continebat } Caput Asturica Augusta; item &  
 Asturiam Ouetanam, & partem } Legio 7. Germanica vbi 260000.  
 Regni Legionensis trans Durium. } capitum liberorum, & 12. populi.

CLVNIENSIS. Complectebatur } Caput Clunia, ibi  
 Santillanam: Biscayam magnam totam, par- } quoque Numantia sita  
 tem exiguam Regni Legionensis, & Castel- } fuit. Populi hinc pe-  
 lam Veterem. } tentes ius 65.

CÆSARAVGVSTANVS. Con- } Caput Cæsaraugusta Colonia  
 tinebat Castellæ Nouæ partē & Re- } immunis. Vnde iura petunt 42.  
 gna Aragonense, & Nauarrense. } populi, hoc est vrbes.

TARRACONENSIS. Complecteba- } Caput Tarraco Scipionum  
 tur Catalaniam totam, & minimam } opus, vbi populi celeberrimi  
 partem Regni Valentie. } 44. disceptabant.

CARTHAGINIENSIS. Continebat } Caput Carthago Noua  
 Castella Noua partem, Murcia Re- } Pœnorum opus, vnde ius  
 gnum totum, Valentia pene totum, & } petebant 62. populi præ-  
 totum Maioricense. } ter Insularum accolas.

#### §. 7. Diuisio Hispania secundum Notitiam Imperij.

HADRIANI tempore diuisa fuerat Hispania in sex partes, si-  
 quidem Tarraconensis, vt potè amplior, distracta est in Tarraco-  
 nensem, Gallæciam, & Carthaginensem, quibus adiuncta fuit Hi-  
 spania Transfretana dicta, & Tingitana; vt in Africam, ex verâ  
 Hispaniâ commodè auxilia submitterentur. Sed tempore Con-  
 stantini addita fuit septima conflata ex Insulis Gymnesiis, quas &  
 Balearidas dicunt. Porrò his septem prouinciis vnus præerat Vi-  
 carius sub Præfecto Prætorij Galliarum, de cuius insignibus sicut  
 de Consularibus, & Præsidibus ei subiectis legatur Notitia Impe-  
 rij, & ad eam Pancirolus cap. 67. Notitiæ Imperij Occidentalis.

BÆTICA. Continebat Anda- } Caput Hispalis. Hæc prouincia tē-  
 lusiam totā, integrum Grana- } pore Domitiani Proconsularis erat,  
 tense Regnum, & minimam } sub Cōstantino Præsidē habuit, sed  
 Portugallia partē decerpebat. } sub Constantio facta est Consularis.



BRACCARENSIS. Complectebatur } Caput Braccara Augusta, &  
 magnā partē Portugallia Antra-Mir- } in eo fuerunt capita 275000.  
 ho-Douero, & partem Tramontanæ. } & 24. ciuitates.

ASTVRICENSIS. Continebat } Caput Asturica Augusta; item &  
 Asturiam Ouetanam, & partem } Legio 7. Germanica vbi 260000.  
 Regni Legionensis trans Durium. } capitum liberorum, & 12. populi.

CLVNIENSIS. Complectebatur } Caput Clunia, ibi  
 Santillanam: Biscayam magnam totam, par- } quoque Numantia sita  
 tem exiguam Regni Legionensis, & Castel- } fuit. Populi hinc pe-  
 lam Veterem. } tentes ius 65.

CÆSARAVGVSTANVS. Con- } Caput Cæsaraugusta Colonia  
 tinebat Castellæ Nouæ partē & Re- } immunis. Vnde iura petunt 42.  
 gna Aragonense, & Nauarrense. } populi, hoc est vrbes.

TARRACONENSIS. Complecteba- } Caput Tarraco Scipionum  
 tur Catalaniam totam, & minimam } opus, vbi populi celeberrimi  
 partem Regni Valentie. } 44. disceptabant.

CARTHAGINIENSIS. Continebat } Caput Carthago Noua  
 Castella Noua partem, Murcia Re- } Pœnorum opus, vnde ius  
 gnum totum, Valentia pene totum, & } petebant 62. populi præ-  
 totum Maioricense. } ter Insularum accolas.

#### §. 7. Diuisio Hispania secundum Notitiam Imperij.

HADRIANI tempore diuisa fuerat Hispania in sex partes, si-  
 quidem Tarraconensis, vt potè amplior, distracta est in Tarraco-  
 nensem, Gallæciam, & Carthaginensem, quibus adiuncta fuit Hi-  
 spania Transfretana dicta, & Tingitana; vt in Africam, ex verâ  
 Hispaniâ commodè auxilia submitterentur. Sed tempore Con-  
 stantini addita fuit septima conflata ex Insulis Gymnesiis, quas &  
 Balearidas dicunt. Porrò his septem prouinciis vnus præerat Vi-  
 carius sub Præfecto Prætorij Galliarum, de cuius insignibus sicut  
 de Consularibus, & Præsidibus ei subiectis legatur Notitia Impe-  
 rij, & ad eam Pancirolus cap. 67. Notitiæ Imperij Occidentalis.

BÆTICA. Continebat Anda- } Caput Hispalis. Hæc prouincia tē-  
 lusiam totā, integrum Grana- } pore Domitiani Proconsularis erat,  
 tense Regnum, & minimam } sub Cōstantino Præsidē habuit, sed  
 Portugallia partē decerpebat. } sub Constantio facta est Consularis.



LVSITANIA. Complectebatur Portugalliam ferè totã, hoc est seclus à parte Septentrionali. Tollebat & partes Extremadura, Castellæ atque Legionis. Caput *Augusta Emerita*, in gratiam Augusti sic dicta qui eò Coloniam misit. Hæc erat Consularis.

GALLÆCIA. Continebat Galiciam totam, partem Portugallie exiguam; Legionense Regnum cum Asturiis, Biscaiam Magnam cum Castellâ Vetere. Caput *Braccara Augusta* sub præside erat teste Sex. Rufo, sed postea Consularis est facta, & iterum Imperio inclinante præsidem habuit.

TARRACONENSIS. Complectebatur aliquam partem Castellæ Nouæ, Regna Nauarra, Aragonie, & Catalaniæ integra, cum minutâ parte Valentini. Caput *Tarraco* in littore, dicta & *Iulia* victrix Tirrhenica. Præsidem tantum habuit.

CARTHAGINIENSIS. Continebat Murcia Regnum totum, & maximas partes Valentini, atque Toletani seu Castellæ Nouæ. Caput *Carthago Noua*. Hæc tantum à Præside regebatur.

INSVLARVM. Complectebatur Regnum Maioricense. Vbi tres vrbes celebres, *Palma*, *Mago*, *Ebusus* in tribus maioribus Insulis, in eas olim Præfectus missus, deinceps fuit à Præside administrata fuit.

MAVRITANIA TINGITANA. In Africâ, continebat Regna Maroci, & Fesse & Inf. Calis. Caput *Tingis*: dicebatur & Hispania Transfretana, & Tingitana, & ei Præses ius dicebat.

## LIBER QVINTVS.

### *De Hispania secundum Recentiores..*

**H**ISPANICI sedem, vt vocant, Imperij, hoc libro persequimur, quod existens ex tenuibus initiis, & minutis sensim partibus conflatum, per totum orbem patrum nostrorum memoriâ diffusum, nostrâ ætate concuti, & labare cœpit; quia vix se suâ ferebat mole,